Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars prima - Cod. Aug. perg. 22

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Schmuckinitialen

urn:nbn:de:bsz:31-41594

Visual Library

Secunda propter rationem ad confirmationem matrimonii contra futuros hereticos matrimonium dampnare volentes ut ut per hoc quod de virgine et desponsata nasceretur utrumque status et virginum et coniugatorum approbaretur contra hereticos alterum istorum detrahentes. Tercia est ad sublevacionem opprobrii ut sic ab omni gradu feminarum tolleretur opprobrium quod in eva meruerat omnis femine et tam virgines quam nupte quam etiam vidue a communi opprobrio quod in eva contraxerat exhiberentur in persona marie. Quarta est ad commendacionem exempli ut videlicet ostenderet facta desponsacione ante coniunctionem liberum esse transire ad meliora vota sponso irrequisito ut est in religionis ingressu ubi anima desponsatur deo. sicut fuit in beata virgine. Quinta est secundum crisostomum ad declaracionem misterii qua scilicet ipse christus desponsat ecclesiam que virgo est ~~dei~~ immaculata sine et sine ruga. cuius virginitatis semine filium in fide ihesu christi. quia per leonem papam quo spiritu de virginis utero nascitur christus. hoc de ecclesie utero nascitur christianus. Ideo autem secundum crisostomum beata virgo maria fabro lignario desponsata fuit quia christus ecclesie sponsus omnem salutem per lignum crucis operari debebat. Et secundum augustinum christus natus est de matre que fabro desponsata erat ut omnem carnalis nobilitatis tumorem extinxit.

Considera modo quante ante hanc beatam virginem et quante post eam mulieres et virgines fuerunt. hec tamen sola mater domini fieri meruit. Magna enim et ineffabilis gratia est ut una ex tantis milibus eligatur. Ipsa autem preteris electa fuit quia omnes alias in sanctitate precellit unde Anshelmus. Eam solam fructus credo et scies deus ex omnibus virginibus quas capiebat mundus elegit et fecit ut habitaret in ea corporaliter quam iam plenam pridem virtutibus deuenebat et amplectabatur spiritualiter. ipsam autem omnes mulieres sanctitate precellusse. puto quod intelligit qui animadvertit nam alie quidem partes gratiarum meruerunt. ipsa autem plena gratia ab angelo salutatur. Hec Anshelmus. Oro

Salve virga yesse florida et fructifera maria virgo sanctissima. de qua Dominus ille et singularis flos et fructus prodyt. unde virtutum spiritualium germen cepit flos suavissime emittens odorem. fructus sapidissime immittens dulcorem. flos cuius bonitas expellit mesticiam. fructus cuius sanetas plenam dat leticiam. Benedicta virgo de radice yesse. Benedictus et flos qui de tali radice ascendit. Benedicta arbor. benedictus et arboris fructus tuo ergo flore me recrea tuo fructu ab omni miseria me libera virgo maria in nobis benedicta Amen

De concepcione iohannis precursoris domini capitulum quartum

Fuit autem in diebus illis scilicet in diebus herodis. Regis Iudee sacerdos quidam nomine zacharias de vica abia et uxor ei nomine Elizabeth aaromea. Erant autem ambo iusti ante deum. id est sicut proprie que sequitur iusticiam ante mundum incedentes in omnibus mandatis quantum ad observanciam moralium preceptorum. et iustificacionibus domini quantum ad observanciam cerimonialium sine querela quantum ad observanciam iudicialium. quia pacifice ad proximos se habebat et non erat illis filius propter sterilitatem que est causa specialis mulieri et senectutem que est causa ~~communis~~ communis viro et mulieri. Ex quo apparet conceptio precursoris miraculosa. quia non fuit tantum per naturam Sed supra naturam gratia divina adiuvante. Iste herodes de patre ydumeo descendens fuit alienigena et iam ceptrum ablatum fuit de iuda et ideo tempus adventus christi instabat

Hec fuit prefigurata per virginem Saram raguelis filiam thobie desponsatam que ab omni concupiscentia mundam servavit animam suam. Multo magis maria ioseph desponsata que virgo mentem et corpus mansit immaculata. Comparatur etiam virgo maria turri fortissime que dicebatur baris que in scolastica hystoria de duobus custodibus defendi poterat ab omnibus viventibus. Tam fortissima et immobilis fuit virgo maria. cuius custos perpetuus erat deus et eius sapiencia. Cui etiam comparatur turri david. que munita erat mille clipeis qui de ea dependebant. quia mille virtutes et multo plures in maria apparebant quibus vita eius munita erat in tantum quod omnes temptaciones et penitus fugabat et non solum hec a se. sed et ab aliis gratiis suis infundendo repellebat Considera

quia Iacob